



## **Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Antverpiae, 1647**

11. Quotidie de uno aliquo dolore Christi Patientis meditationem instituit,  
Claudius Jaius, Allobrox.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

## DECAS II.

## I.

## AMATOR CRUCIFIXI

*Quotidie de uno aliquo dolore Christi  
Patientis meditationem instituit.*

**C**LAVDIVS IAIVS Allobrox (vulgo Sabaudus) unus ex decem primis Patribus Societatis IESV, qui & Angelus DEI, & Pater, Patronusque Catholicorum, & à Petro Canisio APOSTOLVS GERMANIÆ fuit appellatus, studio pre-cationis, & meditationis imprimis excelluit. Præter alia autem singulis diebus, tum caput è ceterâ CHRISTI vitâ pro tempore, quod repræsentabat Ecclesia, tum unum ex PASSIONE DOMINICA de Sacris Cruciatibus retra-ctabat.

Ex quo tanta ejus extitit caritas, & propensio voluntatis ad iuvandos mortales, pro quibus Filium DEI Hominem factum, & CRUCI fuisse SVFFIXVM recolebat; ut à meditationis, & orationis delitijs ad eorum vulnera circumliganda descendere non abnueret: & ab eorum consuetudine vicissim ad Orationis exercitium repetendum æstuarer.

Solitum,

II.  
CLAVDIVS  
IAIVS  
Allobrox.

Solitum, aiunt, cum interruptâ pre-  
 catione vocaretur ad opem alicui impen-  
 dendam, DEO dicere, Domine IESV,  
 patientiam habe, quia vocor ad exer-  
 cendum opus tuæ caritatis erga ani-  
 mas tuo PRETIOSO SANGVINE redem-  
 ptas. At, cum opus illud, Te adjuvante,  
 perfecero, redibo cum fœnore, &  
 omnia reddam Tibi.

Post Germaniam penè universam cum  
 summâ sanctitatis, & doctrinæ opinione  
 peragratam, Viennam Austriæ, jussu S.  
 IGNATI veniens, ibique aliquamdiu  
 Societatis munia administrans, Anno  
 M. D. LII. VI II. Idus Augusti, non diu-  
 turno illo quidem, graviq̃ morbo, sed  
 summo languore confectus, aut potius  
 continenti operâ, zeloq̃ Domini  
 DEI consumptus, Sacramentis ritè no-  
 vissimis communitus, DEO Homini-  
 busq̃ percarus CRUCIFIXI AMATOR  
 ad eum, quem facie ad faciem videre  
 semper exoptarat commigravit: ut exi-  
 mia ejus virtus, & perspecta vulgo san-  
 ctitas pollicebatur.

*Nicolaus Orlandinus Hist. Societ. lib. xii. à  
 num. 35. Bibliotheca Societatis, litt. C. Imago  
 primi Seculi lib. 2. pag. 288.*